

factos et illatos contra regiam Maiestatem, vel eius subditos, aut alios quoslibet, vsque ad haec tempora, quouis modo, parcimus, ignoramus, dimittimus et indulgemus, nec eosdem ciues, vel quemlibet ipsorum quispiam super excessibus et culpis possit imputare, aggrauare, temporis in euentu aliquali. Item omnes sententias, deliberationes, acta per Comitem et Curiam, siue per consilia eiusdem ciuitatis, temporibus retroactis facta et ordinata, confirmamus et ratificamus in perpetuum obseruanda. Item omnia priuilegia, gratias, donationes et libertates ipsius ciuitatis, per excellentissimos Principes olim illustres reges Hungariae datas et concessas, inconcusse et firmiter uolumus obseruare; in eis denique libertatibus et donis ipsos ciues ampliare, non minuere, intendentes. Item duas insulas, Srimaz et Zuvri vocatas, cum earum pertinentiis, quas olim commune Jadrense illicite occupauerat, in quorum tenutum et possessionem Dominium Venetum eosdem introduxit, restituendo eisdem resignamus pacifice iure hereditario possidendas. Item quod de cetero, videlicet ratione praemissarum insularum iidem Jadrenses vel alii quilibet, eosdem nullatenus valeant molestare. Item molendina siue Slap, cum flumine Karka, quae nunc possidere dignoscuntur, eisdem in perpetuum gubernanda commisimus. Item nullum castrum nullaue fortalitia in praedicta ciuitate Sibinici, nec in districtu eiusdem vel extra districtum, quae essent vicina dictae ciuitati, in praeiudiciu eiusdem vllo vnquam tempore, aedificare per quoscumque faciemus. Item totum, quod per regimen eiusdem ciuitatis est, et in futurum fuerit sententiatum et deliberatum, sit ratum atque firmum, et inuiolabiliter absque contradictione quorumlibet in ciuitate et districtu obseruandum, nec etiam iidem ciues possint citari, vel cogi in praesentiam quorumvis iudicum extra dictam ciuitatem. Item si per aliquos Banos vel tyrannos, Temporibus elapsis, aliqua in ciuitate vel eius districtu fuissent occupata et detenta; ea remaneant illis, qui nunc ipsa possident, nec ratione temporum aliqua molestia in eis inferatur. Item Vlahi vel Villani in districtu ipsius ciuitatis, absque licentia et voluntate ciuium pascua ipsorum seu gramina depascere non possint. Item quod nos vel alter quiuis, sub dominio praelibati domini nostri regis constitutus et constituendus, nullum debitum, nullamque collectam a communi dictae ciuitatis vel eius districtus, praeter ius regiarum portarum, quod tributum appellatur, prout in eorumdem priuilegiis continetur, extorquere et exigere valeamus; nec etiam nos, aut alii quicunque, in praescriptam ciuitatem Sibenicensem manu potenti venire valeamus, nisi in quantitate, qua placuerit ciuibus, seu regimini ciuitatis, vnum prandium semel in anno, et non plus, ipsa communitas nobis dare teneatur, et si vlterius in eadem ciuitate voluerimus permanere, super nostra expensa et bona voluntate hospitis nostri, absque molestia quorumlibet ciuium, debemus manere in eadem. Item praefatus Dominus noster rex, et nos in persona eiusdem, totis viribus et potentia ab omnibus aemulis et impetitionibus ipsam ciuitatem cum districtu eiusdem defendere et protegere, cum auxilio et iuramento spondemus et assumimus. Item si aliquando Dominus noster Rex vel eius successores de proprietatibus et libertatibus dictae ciuitatis quibusuis alienassent et tradissent, ipsas alienationes idem Dominus rex in irritum reuocabit. Item antedictus dominus noster rex, aut nos, vel alter, nomine eiusdem Domini nostri regis, obsides de eadem ciuitate nullatenus petere et recipere potest. Item quod praelibata ciuitas Sibenicensis habeat omnem gratiam, libertatem generalem et specialem, quam aliae ciuitates regni Dalmatiae habent